

et 10. et alii. Atque istud probatur per l. *Ex diverso*. § fin. ff. *Saluto matrim.* ubi Bartolus et Alexander, in *Summario* inquirunt: « Exceptio, quæ non impugnat sententiam, potest opponi post sententiam. » Id ipsum ostenditur inductione, afferendo tales casus.

53. *Ut est exceptio senatusconsulti Macedoniani*. — Sic imprimis exceptio senatus consulti Macedoniani, competens filiis familias mutuum pecuniam a fœneratore accipientibus, potest etiam post sententiam contra filiosfamilias latam opponi, si illam antea, ut solvere non tenerentur, non opposuissent, l. *Tamen si*. ff. Ad S. C. Macedonian. juncta Glossa 1. et doctoribus ibid.

54. *Et exceptio senatusconsulti Velleiani*. — *Secundo*, hoc ipsum procedit in exceptione peremptoria senatus consulti Velleiani, mulieribus competente, ne incaute fidejubes pro aliis, solvere compellantur: unde si mulier incaute pro alio fidejussisset ac non opposita dicta exceptione condemnata fuisset, ut solveret pro altero, non obstante tali sententia executionem. Textus et Glossa cit. l. *Tamen si*. Speculator, et alii, qui supra. Hæc enim ambæ exceptiones, licet sint peremptoriæ, non tam sententiam impugnant, quam ejus executionem. Zoesius h. t. n. 7.

55. *Item exceptio militis condemnati, si quam ante sententiam non opposuit*. — *Tertio*, idem procedit in exceptione militis condemnati, l. I. c. *de Juris et facti ignorant.* juncto *Summario*, et doctoribus ibid. Ubi permittitur militi, qui exceptionem peremptoriam per juris ignorantiam ante sententiam non objecit, ut eam post sententiam possit opponere; sicque impedire executionem ejus, si facta nondum est.

56. *Atque exceptio competentis: et quibus hæc competat?* — *Quarto*, exceptio competentis, quæ datur donatori contra donatarium, l. *Nesennius*, § fin. *de Re judicat.* Socio contra socium, l. *Verum est*. § 1. ff. *Pro socio*. Marito dotis nomine, vel constante matrimonio adversus uxorem, l. *Non tantum*, ff. *de Re judicat.*; clerico contra suum creditorem; c. *Odoardus*. 3. *de Solutionib.* et nonnullis aliis, ne in plus condemnentur, nisi in quantum facere possunt ita ut non egeant. Hæc, inquam, exceptio competentis etiam post latam sententiam opponi potest, per jura proxime relata, ac præsertim juxta cit. l. *Nesennius*. § fin. ff. *de Re judicat.* ubi *Summarium* generaliter sic habet: « Exceptio,

quæ non impugnat sententiam, potest opponi in executione ejus. »

57. *Item exceptio compensationis*. — *Quinto*, post latam sententiam potest contra hujus executionem opponi exceptio compensationis; seu, quod victor in causa, tantundem aliunde victo debeat: quia magis interest non solvere, quam solum repetere. Accedit textus in l. *Quod in diem*. § *Si rationem*. ff. *de Compensation.* et l. *Si autem is*. § *Si quocumque modo*. ff. *de Negotiis gestis*: ubi Glossa vers. *A judice*. istud intelligit, quando antea vel judex noluit habere rationem compensationis, vel hæc non fuit petita. Alioquin enim, si post examinationem compensatio a judice rejecta esset nec a tali sententia appellaretur, hæc transiret in rem judicatam: sicque compensationi illi obstaret exceptio rei judicatæ, juxta textum cit. § *Si quocumque modo*.

58. *Et exceptio juris retinendi*. — *Sexto*, accedit huc exceptio juris retinendi. Nam quando creditum, victori in causa olim factum, liquidum est, sicque constat, victorem victo vicissim quidpiam debere; competit huic adversus victorem exceptio retentionis etiam post sententiam, donec sibi solvatur. *Surdus* consil. 248. n. 15. et post ipsum Joan. Bapt. *Carlinius Controv. forens.* cap. clxviii. n. 41. Adeo, ut nec prosit victori, offerre fidejussorem de solvendo suo debito. *Carlinius* cit. n. 41. et 43. post *Molignatum tract. de Retentione.* part. II. q. 417. ea addita ratione: quia retentio est favorabilior, quam ipsa petitio. Verum casus iste prope modum cum priori.

59. *Ac acceptio rei non traditæ vel non numeratæ pecuniæ, aut solutionis jam factæ; vel quod res petita aliunde pervenerit ad actorem*. — *Septimo*, executionem latæ sententiæ impedit, vel saltem retardat exceptio rei non traditæ. *Mangilius de Eviction.* q. 98. Item exceptio non numeratæ pecuniæ, si adhuc intra biennium opponatur. *Fachineus* lib. II. *Controv. jur.* cap. lxxxiv. et seqq. Item exceptio solutionis jam factæ: sicut et exceptio, quod res petita aliunde jam pervenerit ad actorem; ut l. I. c. *de Re judicat.* et l. I. et II. ff. *de conditione sine caus.* Speculator tit. *de Executione sententiæ*. § *Postremo* n. 6. Siquidem æquitati naturali repugnat, ut alicui solvatur, quod nunquam traditum est; aut id ipsum bis ei solvi debeat.

60. *Item exceptio transactionis, vel pacti de non petendo, etc.* — Idem dicendum de excep-

tionem transactionis, vel pacti de non petendo, aut hujusmodi. Nam pacta fideliter sunt custodienda, cap. 1. ac seqq. *de Pactis*: ac proinde etiam post sententiam potest fieri ipsorum exceptio ad impediendam, seu retardandam illius executionem. *Gratianus Discept. forens.* cap. cdxl.

61. *Atque exceptio evictionis imminenti super re empta*. — *Octavo*, exceptio evictionis imminenti super re empta, retardat executionem sententiæ de solvendo pretio rei emptæ; donec emptori idonee per fidejussores caveatur, l. *Si post perfectum*. c. *de Eviction.*; *Sperellus* decis. 117. *Fori Ecclesiast.* n. 3. post *Rotam* decis. 281. n. 1. et 6. et 32. part. II. divers.; *Romanum consil.* 8. n. 3. pluresque alios.

62. *Et exceptio non implementi. Hæc retardat executionem cameralis obligationis*. — *Nono*, exceptio non implementi (seu, quod ab altera parte non fuerit observatum, quod sibi servari debuerat) repellit agentem, etiamsi defectus sit in minimo. *Baldus* l. *Juris gentium*. § *Adeo*. notab. 2. ff. *de Pactis*. *Menochius* lib. I. consil. 4. n. 368. *Sperellus* cit. decis. 117. n. 68. et seqq. allegans alios. Quod adeo verum est, ut exceptio non adimplementi, retardet etiam executionem cameralis obligationis. *Sperellus* loc. cit. n. 70. cum aliis. Licitum enim est, fidem frangenti frangere eandem, etiamsi juramentum intervenisset, l. *Julianus*. § *Auferri*. ff. *de Action. empti*. et l. *Cum proponas, inter vos*. *de Pactis*. Nam quælibet promissio, imo et juramentum eidem appositum, tacitam habet conditionem, si etiam ab altera parte fides servetur, c. *Pervenit*. 3. *de Jurejurand.*

63. *Exceptio attentatorum impedit executionem sententiæ*. — *Decimo*, exceptio attentatorum impedit executionem sententiæ. *Marescortus* lib. II. var. resol. cap. cxxi. ubi *Rota*. Etiam ratione fructuum non liquidorum; nisi nolorie constet de non jure petentis revocari attentata. *Cassiodorus* dec. 3. *de Restitut. spoliat.*

64. *Post sententiam potest opponi exceptio contra ejus executionem, quando executor modum excedit in exequendo*. — *Undecimo*, post latam sententiam potest opponi exceptio contra ejus executionem, quando executor modum excedit in exequendo, vel sententiam male interpretando. Textus est in c. *Quod ad consultationem*, in fin. 15. *de Sentent. et re judicat.* ubi dicitur, quod ab executione sententiæ post lapsum decennii

non appellatur, « nisi forte adversus eum appellansem, seu excipientem) modus executionis canonicus excedatur: » quæ posteriora verba firmant regulam in oppositum. Concordat c. *Super questionem*. 27. § *Nos autem*. juncta Glossa, vers. *Modum excedat*. *de Offic. delegat.* et l. *Ab executione*. c. *Quonium appellat. non recip.* cum similibus. Atque istud intelligit *Speculator* tit. *de Exceptione sententiæ*. § *Postremo*. n. 6. de omni exceptione, quæ potest objici contra executionem: unde ulterius, et:

65. *Ac exceptio contra executionem, ob defectum jurisdictionis*. — *Duodecimo*, potest post sententiam objici exceptio contra executionem, ob defectum jurisdictionis, sex testatis ex parte exequentis: ut si judex velit exequi sententiam in rebus extra suum territorium existentibus, l. *Cum unus*. § *Is qui possidere*. ff. *de Bonis auctorit. judic. possid.* et c. *Romana* § *Contraheutes*. *de Foro compet.* in 6. cum similibus. *Speculator* cit. § *Postremo*. n. 3. et seqq. apud quem nonnulli alii hujusmodi casus reperiri possunt.

66. *Exceptiones peremptoriæ, etiam negotium principale concernentes, possunt opponi post sententiam, quoties dicitur propter eas nullum fuisse judicium*. — *Resp. III.* Loquendo nunc de exceptionibus peremptoriis principali negotium concernentibus, ipsamque sententiam impugnantibus, possunt eadem post sententiam proponi, quotiescumque dicitur, propter eas nullum fuisse judicium. Ita Glossa c. 1. in l. *Tamen si*. c. Ad S. C. Macedonian. *Speculator* tit. *de Exceptionibus*. § *Dicto*. n. 14. *Socinus de Fallentis*. reg. 121. hinc excipiens duntaxat exceptionem nullitatis contra tres sententias conformes latas, juxta *Clem. Ut calumniis*. *de Sentent. et re judicat.* Nisi talis nullitas causaretur ex defectu jurisdictionis aut de ipsa constaret ex actis productis coram judice, etc. et alii. Nec immerito: nam sententia contra leges, canonesve prolata, non tenet ipso jure, nec ab ea opus est appellare, cap. 1. *de Sentent. et re judicat.* unde non mirum, quod exceptio nullitatis ejus possit imposterum opponi.

67. *Nullitas sententiæ, atque inde consurgens exceptio ipsius, potest oriri, multipliciter*. — *Cæterum* nullitas sententiæ, atque inde consurgens exceptio ipsius potest oriri multipliciter. Videlicet, vel ratione judicis; puta, quia erat incompetens, excommunicatus, aut hujusmodi, l. I. c. *Si a non competente judice*, etc. et l. *Cum Magistratus*. et l. *Certa*

ratione. c. Quando provocare non est necesse: et c. Ad probandum. 24. de Sentent. et re judicat. cum similibus. Vel ratione partis quæ habet privilegium, v. g. immunitatis, ne vocetur ad munera personalia: nam vocatio, atque sententia in contrarium lata, ipso jure est invalida, adeo ut non sit opus appellatione. Si pater. et l. Veteranis. c. Quando provocare, etc. Vel ratione rei, de qua fertur sententia: ut si contra sententiam, quæ jam transivit in rem judicatam, de novo pronuntietur, l. I. c. eod. Vel quando alia consimili de causa sententia lata non transit in rem judicatam, juxta dicenda inferius tit. XXVII. de Sententia et re judicata. § 4. n. 114. et seqq.

68. Exceptio falsitatis instrumenti potest objici post sententiam. — Hic « non solum ante sententiam, verum etiam post eam, objici potest exceptio falsitatis: cum falsorum instrumentorum prætextu lata sententia usque ad viginti annorum spatium valeat retractari veritate comperta. » Ita loquitur pontifex in c. Cum venerabilis. 6. Licet autem, h. t. et concordat textus in l. Querela falsi. c. Ad legem Cornel. de Falsis. et l. I. ac seqq. c. Si ex falsis instrumentis, etc.

69. Sicut et exceptio falsi procuratoris. — Similiter exceptio falsi procuratoris non solum ante sententiam, sed etiam postea objici potest; utpote qua probata judicium reputatur nullum, c. In nostra. 4. § fin. de Procuratorib. et l. Licet. c. eod. Tacentur alii tales casus, utpote cit. tit. XXVII. § 4. commodius referendi.

70. Exceptio nullitatis sententiæ, regulariter non impedit executionem ipsius. — Resp. IV. Quamvis exceptio nullitatis possit opponi post sententiam diffinitivam, ut dictum: nihilominus per exceptionem nullitatis ejus, regulariter non impeditur executio sententiæ. Textus est in can. Sicut sine. 2. q. 1. et Clem. Ut calumniis de Sentent. et re judicat. ac notat Glossa c. Cum in jure. vers. Sententiæ. et Innocentius ibid. circa princip. de Offic. delegat. Socinus de Fallentiis, reg. 122. Bartolus l. IV. § Condemnadum. n. 2. et 3. ff. de re judicat. Scaccia de Appellation. q. 19. remed. 1. concl. 5. n. 1. et seqq. citans alios, nonnullis tamen exceptis, quos pariter allegat.

71. Et hujus ratio. A diversis non valet illatio. — Accedit ratio. Quia oppositio nullitatis sententiæ, et impeditio executionis ejus, sunt valde diversa, uti liquet ex terminis: atqui a diversis non valet illatio, l. Papinianus. ff. de

Minorib. et notat Abbas consil. 40. in princip. lib. I; Card. Tuschus litt. a. concl. 510. n. 2; Barbosa in tract. Loca communia. argument. jur. loco 37. cum aliis. Unde in simili post latam trinam conformem sententiam, sicque post exclusum remedium appellationis, potest quidem fieri supplicatio principi, nihilominus ipsa pendente mandatur sententia executioni; præstita tamen cautione, ut si retractetur sententia, omnia restituantur, Auth. Quæ supplicatio. c. de Precib. Imperat. offerend.

72. Fallit illud, quando nullitas sententiæ est evidens seu notoria. Vel potest in continenti probari. — Additur tamen in data conclusione, « regulariter non impeditur executio sententiæ, » etc. Fallit enim istud, atque per exceptionem nullitatis sententiæ impeditur istius executio, quando talis nullitas est evidens, seu notoria. Socinus cit. reg. 122. fallent. 9. post Baldum in l. ull. c. Si ex falso instrument. Sigism. Scaccia d. quæst. 19. remed. 1. concl. 5. n. 23. et seqq. allegans Rotam decis. 3. alias 280. de Exception. in nov. et communem aliorum. Vel quando dicta nullitas sententiæ potest in continenti probari: quia etiam tunc exceptio ipsius impedit executionem. Bartolus cit. § Condemnadum. n. 2. et 3. Socinus, ubi supra. fallent. 1. Scaccia cit. n. 23. et alii. Idque merito: ne alioquin per executionem sententiæ manifeste injustæ, manifesta committeretur, seu toleraretur injustitia.

73. Aut quando executio sententiæ foret irtractabilis: quia tunc exceptio nullitatis, impedit executionem sententiæ. — Fallit insuper, quando executio sententiæ foret irtractabilis. Quia enim tunc exceptio nullitatis sententiæ impedit hujus executionem; et quidem tam in causis criminalibus, v. g. in amputatione manus, quam in civilibus, donec de nullitate sententiæ antea cognoscatur: idque ob periculum inferendi damnum injustum amplius irreparabile. Socinus cit. reg. 122. fallent. 2. subjungens plures alias hujusmodi fallentias. Scaccia d. remed. 1. concl. 4. n. 74. 75. et 76. citans alios; atque istud intelligens, etiamsi exceptio illa requireret altiore indagine, aut opponeretur contra tres sententias conformes.

74. Exceptiones peremptoriæ possunt opponi in causa appellationis, sicut poterant antea post litem contestatam. — Queritur IV. Utrum exceptiones peremptoriæ post latam sententiam opponi possint in causa appellationis?

### § III. SOLVUNTUR ALIA DUBIA OPPOSITIONEM EXCEPTIONUM CONCERNENTIA. 213

Resp. affirmative: adeo, ut exceptiones hujusmodi possint tunc opponi regulariter in omnibus illis casibus, in quibus poterant opponi in causa principali, post litem contestatam. Ita Glossa fin. c. Inter monasterium. de Sentent. et re judicat. Abbas c. Exceptio. n. 17. et 18. h. t. et alii. Siquidem per appellationem rescinditur, sive suspenditur, judicatum, et reponitur in antiquo statu, ut possit quis facere ea omnia, quæ poterat post litem contestatam: ad illum enim statum reducitur, licet non ad eum, qui erat ante litem contestationem. Bartolus in l. Ita denum. c. de Procurat. Abbas loc. cit. et alii, junctis supra n. 28.

75. Dummodo quis non scienter, et malitiose eas omiserit in causa principali, ut si fatigaret adversarium. Malitiis hominum non est indulgendum. — Additur tamen ly, « regulariter in omnibus illis casibus, » etc. Fallit enim hoc, quando quis sciens in fraudem, ac malitiose, prætermisit opponere exceptionem peremptoriam in causa principali, ut sic fatigaret adversarium suum. Qui tunc dolose prætermittens opponere exceptionem peremptoriam (dempta exceptione excommunicationis) non est audiendus in secunda instantia, seu in judicio appellationis. Glossa fin. c. Inter monasterium. et Joan. Andreas ibid. n. 17. et Abbas n. 15. de Sentent. et re judicat. post Hostiensem ibid. Idemque Abbas in cap. 1. n. 9. h. t. istud intelligens de quacumque exceptione, quæ malitiose tempore determinato non fuit opposita, ut post illud tempus non admittatur. Accedit ratio, quia malitiis hominum non est indulgendum, l. In fundo. ff. de Rei vindicat.

76. Et quid, si exceptio excommunicationis ita malitiose fuit dilata? — Id ipsum, et magis ad propositum, desumitur ex c. Exceptionem. 12. h. t. argumento a speciali desumpto: ibi quippe in exceptione excommunicationis (majoris videlicet) istud habetur speciale, ut in quacumque litem parte possit opponi: ita tamen, ut si malitiose dilata fuerit, reus actori in legitimis expensis condemnandus sit. Atque istud esse speciale in exceptione excommunicationis, probat textus in cit. c. Exceptionem. h. t. sic sonans: « Exceptionem excommunicationis in dilatoriis proponendis reus scienter omittens, in qualibet parte litem opponere minime prohibetur: quod est in hac exceptione specialiter observandum: ne quisquam in periculum animæ excommunicationem communicare cogatur, » etc. Ergo

cum istud sit speciale in exceptione excommunicationis scienter omissa, et quidem ob rationem allegatam, id ipsum in aliis exceptionibus scienter, et malitiose omissis, locum non habet: eo præsertim, qua in istis allegata ratio non procedit. Joan. Andreas cit. n. 17.

77. Judex non illico debet repellere exceptionem peremptoriam propter quamlibet malitiæ suspicionem. Qui dolum allegat, dolum probare debet. — In praxi tamen non illico judex exceptionem peremptoriam repellere debet propter quamlibet fraudis, seu malitiæ suspicionem; tum quia nemo præsumitur malus, nisi probetur malus, cap. ult. de Præsumption. cum similibus. Et qui dolum allegat, dolum probare debet l. Quoties. § Qui dolo. ff. de Probation.; tum quia dolum non nisi ex indiciis perspicuis probatur, l. Dolum. c. de Dolo malo. Unde et Pontifex in c. Suscitata. 6. De in integrum. restitut. post sententiam a se latam, admisit exceptionem præscriptionis a reo propositam (haud obstante, quod « ex præsumptionibus pluribus videbatur per malitiam excogitata) idque sub certis tamen cautelis, censuit faciendum æquitate pensata, » seu ne cuiquam parti præjudicium generaretur. Abbas cit. c. Suscitata. n. 3. De in integrum restitut.

78. Dolum, sive malitia differentis opponere exceptionem, quomodo probari possit? — Et si petas, quomodo ejusmodi dolum, sive malitia differentis opponere exceptionem ad fatigandum adversarium suum, probari valeat? Respondet Abbas cit. c. Inter monasterium. n. 14. in fin. de Sent. et re judicat. ejusmodi dolum probari posse vel ex confessione adversarii; puta, quia ipsemet extra judicium id dixerat; vel ex conjecturis, sive ex indiciis perspicuis, juxta cit. l. Dolum. c. de Dolo malo.

### § III.

#### SOLVUNTUR ALIA DUBIA OPPOSITIONEM EXCEPTIONUM CONCERNENTIA.

79. Exceptiones a quibus possint opponi? Eæ opponuntur a reis, horumque hæredibus. — Queritur I. A quibus possint exceptiones proponi, et si non admittantur, appellari? Resp. I. exceptiones opponuntur a reis, horumque hæredibus, et fidejussoribus; nisi fuerint exceptiones personales. Ita Hostiensis in Summa. h. t. n. 4. et alii. Ratio est, quia